

que parte jam est impleta, contractus sit adeo perfectus & absolutus, ut penitus nulla amplius obligatio maneat solvenda. Econtra vero, si ex una tantum parte impletus habetur, contractus tunc perfectus & integer nondum est, quin addit adhuc obligatio alterius adimplenda, consequenter etiam mutuo consensu dissolvenda.

422 Quæritur II. An Emptione Venditione utriusque consensu jam perfecti teneatur venditor ad tradendam rem, vel satisfaciat præstando interesse? Resp. Teneatur absolute & præcisè ad tradendam rem, nec satisfaciat præstando interesse, Pinell. in L. i. C. de Bon. Matern. p. 3. n. 25. & in L. 2. C. de Rescind. vendit. p. 2. cap. 3. n. 22. Carpz. p. 2. Const. i. def. 15. ubi asserit, hanc sententiam ubique esse receptam. Harprecht prin. Instit. de Empt. n. 48. Bartol. Alexander, Felinus, & communissima, ac receptissima aliorum, ita ut Pinollus lo. cit. dicere non dubitaret, eos, qui contrarium asserunt, improvidè lapsos esse, eorumque opinionem veritati, & publicæ quieti adversari. Est autem contra Fachin. lib. 2. cap. 30. Gibalin. lib. 4. de negot. hum. cap. 4. art. 4. n. 6. & plures alios, quos allegat Harprecht lo. cit. Probatur ex variis Legibus. Sic enim L. Si quis. 46. ff. de Action. empti. dicitur, venditorem cogi posse, implere venditionem; atqui aliud est implere contractum, aliud præstare interesse, l. Contractus. 17. C. de Fide instrum. ergo præstando interesse non satisfaciat venditor, sed, quod vendidit, tradere debet. l. Ex empt. 11. §. 2. ff. de Action. empti. expressè dicitur: *In primis ipsam rem præstare oportet, id est tradere: ergo non sufficit præstare interesse.* §. 1. Instit. de empti. præcipitur; ut omnimodò &c. & pretium solvatur, & res tradatur. l. Cùm venditorem. 10. C. de Action. empti. dicitur, fidem conventionis rupisse, & l. Qui tibi. 6. C. de Hered. & Action. vendit. contractus fidem fregisse, qui rem venditam, cùm posset, non tradidit; atqui hoc verum non esset, si in arbitrio venditoris foret, vel rem tradere, vel interesse præstare; ergo.

423 Objiciunt Adversarii primò. In obligationibus facti non datur alia actio quam ad id, quod interest, l. Si quis. 13. in fine, ff. de Re judicat. ibi: *Si non fecit, quod promisit, in pecunia numeratam condemnatur, sicut est in omnibus faciendi obligationibus.* Concordant l. Stipulationes. 72. & l. Quotiens. 81. ff. de V. O. atqui tradendi obligatio est facti, l. Ubi autem. 75. §. 7. ff. eod. l. Consilio. 7. §. fin. ff. de Curat. furios. ibi: *Traditio facti magis, quam Juris est: ergo.* Respondetur, imprimis valde dubium esse, an de Jure Civili satisfaciat præstando interesse, qui obligatur ad factum; cùm hoc ex cit. l. Si quis. ff. de judicat. & l. 81. de Re V. O. non evincatur, ut post Glossam fin. in cit. l. Si quis bene ostendit Molina Disp. 562. nu. 4. & jam dictum est supra. Certè de Jure Canonico obligatus ad factum, non satisfaciat præstando interesse, sed, si potest factum præstare debet juxta communem DD. arg. c. 1. & c. Qualiter de Paclis. Dein respondetur ulterius, obligationes facti esse duplicis generis. Aliquæ respiciunt nudum ac simplex factum v. g. pingendi imaginem, eundi Romam &c. Aliæ factum quidem etiam continent, ita tamen, ut in eo non consistant, sed per factum tendant ulterius ad transferendum v. g. dominium & possessionem. Ex prioribus obligationibus non dari actionem nisi ad præstandum interesse, transmitti potest juxta Leges contra nos citatas; cùm ad purum factum sine vi & impressione cogi nemo possit. De posterioribus negatur, præsertim quia in his cessat ratio; cùm ad traditionem & transferendam possessionem ac dominium absque vi & impressione compelli quis bene possit; si nempe per tertium rei traditio fiat.

Objiciunt secundò. L. 1. prin. ff. de Action. empti habetur; si res vendita non tradatur, in id, quod interest, agitur, hoc est, quod rem habere interest emptori. l. Ex empto. 11. §. 9. ff. eod. dicitur: *Non tradentem,*

quantum interest, condemnari; ergo præstando interesse satisfit obligationi, & ad id solvitur actio. Resp. has & similes Leges intelligendas esse, in casu, quo res amplius tradi nequit; alias enim Leges sibi contradicentem, ut patet ex Legibus citatis, num. 422. ut proin rem tradere in utroque foro teneatur, quando potest: si non potest, quia forsitan jam consumpsit, destruxit, alteri vendidit &c. præstare interesse debet.

Quæritur III. An deputatus ab alio, ut rem aliam certo pretio emat, vel vendat, retinere possit excessum pretii, si rem pluris vendat, vel minoris emat? Quæstio hæc quamvis Theologica potius, quam Juridica sit; tamen quia quotidiana, & summe practica est, proxenetis, procuratoribus, famulis & famularibus, administratoribus materiam continuo ministrantibus; meritò hic examinatur. Ubi ante responsum quædam ut certò supponenda præmittuntur.

Supponitur itaque tanquam certum, & ab omnibus concessum primò, talem deputatum nihil sibi de excessu pretii retinere posse, quando de mente domini manifestè constat, quòd pretium certum ideo tantum determinet, ne infra illud vendatur, vel ultra illud ematur, v. g. si dicit: rogo te, vende pro me hanc rem pretio, quo potes meliori, volo tamen, ut infra sex florenos non vendas. Vel: vende hanc rem ad minimum sex florenos. Vel eme pro me pannum pretio, quo potes viliori, plus autem pro eo non expendas, quam 10. florenos: vel eme pro me decem ulnas panni, & pro qualibet ad summum expende tres florenos.

Supponitur econtra tanquam certum secundò, posse deputatum pretii determinati excessum licitè sibi retinere, si eadem domini sufficienter indicet, contentum esse esse, dummodo præscripto seu determinato pretio emat, vel vendat; nec plus desiderare, sed gratias relinquere illi, si carius vendendo, vel minoris emendo quid sibi acquirere possit: v. g. si expressè dicit; pallium hoc viginti vendendum tibi committo; si pluris vendideris, tuum erit &c. Difficultas & quæstio solum in hoc consistit, an retinere sibi possit excessum pretii vendens alterius nomine, si dominus expressim quidem seu præsertim pretium, quo rem vendi vel emi velit, non tamen addit; an excessum pretii sibi restitui, & vendenti relinquere velit, casu quo deputatus rem pluris vendat, vel minoris emat. Ad quam

Resp. I. Regulariter loquendo, non potest is, cui res certo pretio vendenda fuit commissa, retinere excessum illum, quem supra determinatum à domino pretium, pluris vendendo acquisivit, quando aliunde non constat, quòd excessum talem liberè eidem relinquere velit dominus. Navar. Manual. cap. 23. n. 97. Molina Disp. 363. n. 1. Castro Palao de Justit. commut. Disp. 5. pun. 16. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 19. Sylvester y. Emptio. q. 24. Saa. y. Venditio. n. 11. Lugo Disp. 26. n. 9. & communis aliorum. Ratio à DD. communiter assignatur hæc; quia nullam habet justum titulum retinendi. Nam primò non potest retinere titulo donationis præsumptæ. Tum quia regulariter, & ordinariè loquendo, quando à domino fit designatio pretii, solum idèd fit, ne infra illud res vendatur; non verò, quòd nihil ultra desideret, vel excessum vendenti donare velit: cùm in dubio donatio non præsumatur, l. Campanus. ff. de Oper. libert. & l. fin. C. de Novat. Tum quia, uti supponitur, colligi non potest, quòd excessum hujusmodi gratis relinquere velit vendenti.

Secundò retinere non potest titulo mercedis aut stipendii pro labore & industria in vendendo habitis; quia eadem merces vel jam, ut supponitur, est constituta; uti communiter proxenetis constitui solet; vel aliunde pro hoc & aliis suis laboribus universalem jam constitutam censetur habere mercedem & stipendium; uti salariati famuli & famulæ, administratores domini, vel onus vendendi gratis in se suscepisse meritò præsumitur, saltem quando se ipsum offert, vel

## §. XIV. De Resolutione seu Dissolutione Emptionis, &c. 305

vel rogatus à domino, absque petitione vel præteritione mercedis, laborem vendendi in se suscipit; & dominus negotium hoc mercedem exigenti forsitan non commisit, sed alium quæsitivilem, qui libenter gratias fecisset. Accedit, quòd excessus pretii designati ordinariè superet quantitatem mercedis pro exiguo vendendi labore debitæ.

430 Tertio non potest retinere ex eo, quòd dicat se ipsam statim rem illam determinato pretio emere, & sic emptam, dein tanquam suam, pretio majore vendere. Nam contra est: tum quòd juxta dicta, voluntas domini non sit, ut præcisè hoc, quòd designat, pretio vendatur, sed ne minoris dilahatur; consequenter deputato incumbat, debitam adhibere diligentiam, rem meliori, quo potest, pretio vendenti: tum quia si deputatus rem statim sibi emptam vellet, deberet etiam rei periculum in se suscipere, & totum determinatum pretium dare domino, etsi nullum inveniret, qui tanto pretio rem emeret: quòd deputati præstare certè non volunt.

431 Quòd si tamen hujusmodi deputatus post adhibitam diligentiam aliquem, qui pluris determinato pretio emeret, non inveniret, haud dubiè ipse rem illam pro se emere, & suo tempore, majori pretio vendere possit. Hinc etiam Layman lib. 3. tract. 4. cap. 17. n. 9. licet agere pronuntiat illum quæstorem, aut gratiarum Prefectum, qui jussus à domino, ut illico venderet pretio corrente 100. scaphas frumenti; eodem pretio implemet emit; quia certò prævidet, pretium intra breve tempus auctum iri, indeque sibi magnam lucrum accrescere. Cæterum ex conclusione

432 Inferitur, ordinariè contra justitiam peccare, & ad restitutionem teneri proxenetis, famulos, & famulas, administratores, & negotiorum gestores, qui aliunde jam pro laboribus suis constitutum mercedem aut stipendium habent, industria & laboris, aut inaniter præsumptæ donationis titulo retinent excessum, quem ex rebus, ultra designatum à domino pretium venicis redigunt: illos verò præter injustitiæ crimen etiam mendacii peccato se inquinare, qui pretio per dominum designato, mendaciter fingunt, se minoris, ac res se habet, pretio vendidisse.

433 Resp. II. Regulariter loquendo deputatus ad rem emendam, si minoris emit, ac præscriptum à domino pretium efficit, non potest excessum designati à domino pretii retinere, vel sibi appropriare. Ita DD. n. 428. allegati, ob rationes ibidem assignatas; quia pariter utriusque militat.

434 Inferitur cum Palao loc. cit. factores (idem dic proportionaliter de aliis) quibus committitur, ut meliori, quo possunt, ad determinatum pretio apud mercatores emant pannum, non posse sibi quidquam retinere propterea, quia minoris rem emerit, ac pretium determinatum efficit; vel ex prætextu, quòd apud alium mercatorem pluris emere potuissent, vel debuissent.

Quòd si verò mercator præcisè in gratiam ipsius factoris, vel alterius deputati, eidem rem minori pretio venderet, forsitan ex fine, ut eundem præ aliis etiam imposterum accedat, ab eoque præ aliis merces emat, improbabile non est; retineri posse à factore illud, quo minoris rem ei vendendam dedit mercator, non daturus, si dominus ipsam vel alius emisset, Palao, & Molina lo. cit. Ratio est; quia videtur esse donum à mercatore factum. Quamvis ut bene observat Molina, hoc serapulis plenum sit, & ideo antequam fiat, dissuadendum, post factum verò, quomodo contigerit, bene examinandum.

436 Quæritur IV. An liceat exteris, & peregrinis rem carius vendere quam indigenis? Resp. negativè. Textus est in c. 1. h. t. ubi decernitur, ut Presbyteri plebes suas admoveant, ut ipsi hospitalis sint, & non sarius vendant transmontibus, quam mercato vendere Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

possunt. Alioquin ad Presbyterum (id est Episcopum Glouci fin. hic) referant, ut ad id iussu ipsius compellantur. Ratio autem, quòd Episcopus vendentes ad id compelli potest, est; quia habet jurisditionem etiam in Laicos, quando agitur de vitando peccato, & exercendo opere pietatis, c. 1. de Offic. Judic. Ordin. &c. Novit. 13. de Judic.

Quæstio in hoc Titulo nondum examinata moveri etiam hic potest, ubinam, qua in moneta, & quando solvendum sit ab emptore pretium? Verum quia hæc quæstio in Titulo de Solutione examinatur, meritò examinanda hic omittitur.

## TITULUS XVIII.

### De Locato, & Conducto.

#### I Ratio ordinis Rubricæ.

Locatio, & Conductio quia Emptioni Venditioni simillima, §. 1. Instit. h. t. ideo eidem & ordine proxima est. Quibus cùm Emphyteusit quoque plurimum affinis sit, de illa etiam in hoc Titulo agemus, Compilatorem Canonum imitantes, qui Capitulum Potuit q. de eadem materia tractans huic Titulo interit.

#### §. I.

De natura Locationis Conductionis, & eius, qui locare, aut conducere, rebusque quæ locari, vel conducì possunt.

#### SUMMARIUM.

- Locatio Conductio definitur.
- Locari & conducì possunt non tantum res utendæ & fruendæ.
- Sed etiam personæ, seu labores ipsorum.
- Pretium in Locatione, & quidem certum intervenire debet.
- Locationis propriæ dicitur pretium pecunia est; improprie verò dicitur pretium etiam alia res esse potest.
- Locator, Conductor, Inquilinus, Colonus, Redemptor & Publicanus quis dicitur?
- Locatio Emptioni simillima, in quo ab ea differat?
- Quis locare & conducere potest, qui à Jure specialiter non prohibetur.
- Jure conducere prædica prohibentur primò Militares.
- Secundò Curiales.
- Tertiò Clerici.
- Tutores & Curatores, donec tutela & curæ rationem reddant.
- Fabri & alii streperam artem exercentes non possunt prope scholas publicas & Monasteria domos conducere.
- Res que vendi, etiam locari potest.
- Res aliena quoque locari potest: & quomodo? Ibid. & num. seqq.
- Locator rei alienæ restituere debet conductori pretium, si res evincatur; ac etiam interesse, nisi bona fide locasset.
- Servitutes reales, non item personales locari prohibentur.
- Res fungibiles non nisi ad pompam locari permittuntur.
- Rem propriam pro se ipso conducere nemo potest.
- Res Ecclesiasticæ immobiles absque Juris solemnitate ultra triennium utile locari non possunt.



- 23 Locatio rei Ecclesiasticae diversimodè contingere potest. Et num. seq.
- 25 Locatio ultra triennium facta, nec quoad primum triennium valet, si post illud à locatore vi contractus revocari non possit.
- 26 Probatur ex Clem. I. de Rebus Eccles. non alienand.
- 27 Alius si non valet, ut sit, nec valebit ut fieri potest.
- 28 Clausula adjecta de repetenda Locatione post triennium non valet.
- 29 Utile per Inutile non debet vitari: quomodo intelligendum?

**Q**uæritur I. Quid sit Locatio Conductio? & an & in quo potissimum differat ab emptione venditione? Resp. I. Locatio conductio est contractus bonæ fidei, solo consensu initus, quo pro re aliqua utenda vel fruenda, aut pro opera personæ certum præstatur pretium. Ita in re communis. Patebitque definitionis bonitas, sicut & tota hujus contractus natura ex declaratione verborum. Dicitur *Conductio* loco generis. Est enim Locatio Conductio verissimus contractus, & quidem unus sub diverso tamen personarum respectu, diverso nomine expressus. Respectu enim personæ, quæ rem aliquam utendam vel fruendam pro pretio, aut mercede conducit: Locatio dicitur. Respectu personæ vero, quæ pro re utenda aut fruenda pretium præbet, Conductio vocatur, arg. l. *Sicut emptio*. 20. ff. *Locati Conducti*: quamvis persæpe alterutro vocabulo totus contractus respectu utriusque significetur, l. *Locatio*. 4. & l. 20. ff. h. t. Dicitur *bonæ fidei*: quia inter contractus bonæ fidei expressè numeratur Locatio Conductio §. 28. *Instit. de Actio.* Additur *solo consensu* initus: quia consensu contrahitur, sicut emptio & venditio, l. 1. ff. *Locati Conducti*.

**D**icitur, quo pro re aliqua utenda vel fruenda, quia res aliæ locantur & conducuntur ad solum usum, ut domus, æquus &c. l. 9. *prin. ff. h. t.* quarum fructus alius non est, quam usus ipsarum. Aliæ vero ad fructus ex eis percipiendos, ut ager, vineæ, pascua, Jura, & redditus, l. *Sed addes*. 19. §. 1. ff. h. t. Contractus, quo res utenda vel fruenda locantur, Locatio rerum communiter dicitur. Quod reducitur etiam conventio illa, quæ oves, & vaccæ eâ lege locantur, ut conductor singulis annis certam quantitatem lanæ, butiri, vel casei, loco pretii domino præbeat. Germanicè, *das Vieh auff den Bestand thun*. Italis *Socida*. Item contractus, quo prædium rusticum non pro pecunia, sed pro certa parte fructuum, media v. g. vel tertia *umb die Helffte, oder umbs Dritt* impensis, & periculis conductus locatur, l. *Et hæc*. 35. *in fine ff. h. t.* l. *Si olei*. 21. c. eod. Qui contractus alio nomine *Affictus* dicitur. Pariter ad Locationem rerum pertinet contractus, quo redditus alicujus Provinciæ, Civitatis, districtus &c. alicui pro certo pretio ad tempus percipiendi conceduntur, ab aliis *Admodiatio* dicitur. *Beold. Theaur. pract. v. Amodiatio*.

**D**icitur pro operis personæ: siquidem non tantum res, sed etiam personæ, seu potius operæ, & labores personarum locantur & conducuntur: *locat enim artifen operam suam*. l. *Item si*. 22. §. 2. ff. h. t. sic enim famulæ se, vel suas operas ad certum tempus locant dominis, & ab his conducuntur. Idem est de Operariis, Officialibus, Opificibus, qui se, seu operas suas aliis locant, & ab aliis conducuntur. Et hæc *Locatio operarum*, seu, *facienda* dicitur.

**D**icitur, certum præstatur pretium. Merces siquidem seu pretium in locatione intervenire debet. *Quæ enim Locatio, cum merx non intercesserit?* Interrogat Ulpianus, l. *Si convenerit*. 23. *in fine ff. Communi dividund.* Et in hoc differt à Commodato, & Precario, viguorum res ad ulum gratis conceduntur, juxta dicta superius Tit. de Commodat. & Tit. de Precar. De-

bet autem hoc pretium esse certum ac determinatum qua de causa si sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nullâ statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum interea convenerit, non propriè Locatio & Conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur. Sunt verba §. 1. *Instit. h. t.*

**U**trum autem pretium in Locatione necessariò consistere debeat in numerata pecunia, vel loco pecunie etiam alia res dari possit, non conveniunt DD. Molina namque *Disp.* 386. n. 2. Azorius p. 2. lib. 8. de *Locar. & Conduct.* cap. 5. q. 4. Lessius lib. 2. cap. 21. & cap. 24. n. 1. Pirking h. t. nu. 2. Bartolus, testibusque Molina & Azorio communis aliorum volunt, pretium debere in pecunia consistere, aliis Locationem non esse. Pro qua opinione habetur textus expressus §. 2. *Instit. h. t.* l. *Natur alis*. 5. §. *At cum*. 2. ff. de *Prescript.* ibi: *Cum do, ut facias; si tale sit factum, quod locari solet, puta, ut tabulam pingas, data pecunia Locatio erit: & si res, non erit Locatio; sed nascetur vel civilis actio in hoc, quod mea interest, vel ad repetendum conditio.* Vallensis contra h. t. n. 2. cum nonnullis aliis vult, pretium Locationis non necessariò consistere in pecunia, sed etiam in aliis rebus præsertim fungibilibus, l. *Et hæc*. 35. *in fine ff. h. t.* & l. *Si olei*. 21. c. eod. ubi aliæ quoque res loco pretii in Locatione admittuntur. Pro concordantia Legum & Doctorum dicendum videtur in Locatione propriè ac strictè tali requiri numeratam pecuniam, in Locatione vero largè tali etiam alias res, præsertim fungibiles loco pretii ferre posse; de qua proin largè nempe sumpta Locatione, l. 35. ff. & l. 21. c. h. t. loqui; reliqua autem Jura pecuniam requirementia de Locatione strictè intelligenda esse, post Zoëlium in *Comment. ff. h. t.* n. 4. bene docet Pirking h. t. n. 2. Molina lo. cit.

**E**x contractu Locationis Conductionis varia nomina sortiuntur contrahentes. Et quidem universaliter ille, qui pretium vel mercedem pro opera personæ, aut usui, fructuque rei dat, *Conductor*; Ille vero, qui pro usu, vel fructu rei, aut operis suas mercedem recipit, *Locator* dicitur, totis Tit. ff. & C. h. t. Specialiter autem si quis prædium urbanum, vel domum conducit, *Inquilinus* nominatur, l. *Sed addes*. 19. §. 4. & 5. ff. h. t. Si agrum, vel prædium rusticum, *Colonus*, l. *Res pignoris*. 37. ff. de *Acquir. possess.* Si opus, *Redemptor*, l. *Cum in plures*. 60. §. 3. ff. h. t. Si vestigia, *Publicanus*.

**R**esp. II. Quamvis inter emptionem venditionem, & ac Locationem Conductionem maxima sit convenientia, adeò quidem, ut in quibusdam casibus dubium sit, an emptio venditio, an vero Locatio Conductio sit; uti habetur, l. 2. §. 1. ff. h. t. ubi etiam in principio dicitur: *Locatio & Conductio, proxima est emptioni & venditioni, iisdem Juris regulis consistit*: Nihil minus ab ea essentialiter in hoc differt, quòd in contractu emptionis leuata traditione transferatur in emptorem dominium, si venditor fuit dominus rei, juxta dicta Tit. *præced.* non vero in Locatione, l. *Non solet*. 39. ff. h. t. ibi: *Non solet Locatio dominium mutare*.

**Q**uæritur II. Quam locare, & conducere possunt? Resp. I. Omnes, qui à jure specialiter non prohibentur. Communis & certa. Ratio est; quia in materia communiter non prohibita, qualis est Locatio Conductio, utpote de Jure gentium l. 1. ff. h. t. procedit illud vulgatum *Glossæ in c. Inter corporalia*. §. *Non invenitur, de Transl. Episc. Concessum intelligitur, quod non expressè prohibetur*.

**R**esp. II. Plures sunt, qui de Jure Locare & Conducere non possunt. Probatur induktione. Sic imprimis Milites de Jure conducere nequeunt prædia ad colendum, l. *Licet reor*. 35. & l. *Milites*. 31. c. h. t. ibi: *Milites nostros alienarum rerum conductores &c. fieri*

**fieri prohibemus.** Ratio ibidem assignatur, videlicet, ne amisso armorum usu ad opus ruris se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant. Transgressores ipso Jure infames sunt, militiæ gradum & honorem amittunt, invaldeque contrahunt, cit. l. *Licet reor*. c. h. t. Quo tamen non obstante possunt Milites conducere domum ad necessariam habitationem, stabulum ad equos nutriendos, & conservandos, *Glossa in cit. l. Milites*. §. *Conductores*. c. h. t. Azorius lo. cit. c. 3. q. 1.

**S**ecundò. Conducere prædia de Jure non possunt Curiales, id est, obstricti & obligati Curie, l. *Curialis*. 30. c. h. t. ubi etiam irritus declaratur Locatiois Conductionis contractus ab iis initus. Ratio est; ne per curas, & negotia prædicti conducti, officii sui obligationes distrahantur. Nihilominus sicut Milites, ita & Curiales necessaria conducere non prohibentur. Imò, ubi contraria legum introducta habetur consuetudo, utiam prædia, & alia conducere possunt Curiales, sicut & Milites, arg. c. *fin. de Consuetud.*

**T**ertiò. Clericis & Monachis de Jure expressè prohibetur alienarum possessionum, & secularium rerum conductores esse, can. 1. *can. 21. q. 3. & c. 1. Ne Cleric. vel Monach.* Intellige turpis lucri gratia; quia necessitatis causa domum v. g. pro habitatione, & alia necessaria conducere non minus, ac alii possunt, cit. c. 1. *Ne Cleric. vel Monach.* Azorius lo. cit. q. 7.

**Q**uartò. Tutores, & Curatores quamdiu administrant, aut donec rationes tutelæ vel curæ reddant, ad conducenda vestigalia, & prædia fiscalia non admittuntur, l. un. c. *Ne tutor, vel Curator*, junctâ l. 1. §. 2. ff. ad *Leg. Cornel. de Falsis*. Transgressores puniuntur pœna falsi, cit. l. un. c. *Ne tutor, vel Curator*.

**Q**uintò. Fabri, alique artifices, qui artem streperam exercent, prohibentur conducere domos vicinas scholæ publicis, si ex illorum strepitu Professores & Scholares à studiis impediuntur, arg. l. un. c. *de Liberalibus studiis*. *Urbis Rom.* Bonacina de *Contract.* *Disp.* 3. q. 7. *pun. l. n. 2.* qui idem tenet de Fabriis conducere volentibus domos vicinas Monasteriis, arg. *can. Pridem*. 7. *cau. 18. n. 2.* ubi Episcopus jubetur etiam Baptistarium prope Monasterium erectum auferre, ne ob strepitum, Monachi in divinis officiis impediuntur aut distrahantur.

**Q**uæritur III. Quænam res locari, & conducì queant? Resp. I. Omnes res, quæ emi, vendique, etiam locari & conducì potest, nisi specialiter à Jure eximatur. Communis & certa DD. l. 1. ff. h. t. Hinc quia omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit, l. 24. §. 1. ff. de *Contract. empt. Et eorum, quia quas natura, vel gentium Jus, vel mores Civitatis commercio exuerunt, earum venditio nulla est, cit. l. 34. idem de Locatione & Conductione erit dicendum: ut proin parùm referat, an res locanda sit mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, propria, vel aliena. Nam*

**R**esp. II. Non tantum propria, sed & alienam rem locare quis potest. Azorius lo. cit. cap. 4. q. 8. *Engel h. t. n. 1.* Molina *Disp.* 489. n. 1 & communis aliorum, l. *Si tibi alienam*. 7. & l. *Si quis*. §. 6. ff. h. t. Hinc Vasallus rem feudalem *Tr. q. lib. 2. Feud Emphyteuta* rem emphyteuticam, *Usufructuarius* rem usufructuariam locare valide, & licet potest, l. *Arboribus*. 12. §. 2. ff. de *Usufruct.* & quemadmodum l. 9. §. 1. ff. h. t. Imò potest conductor rem conductam alteri locare, cit. l. *Si tibi*. 7. ff. h. t. nisi alter conventum sit, l. *Nemo c. h. t.* ibi: *Nemo prohibetur, rem quam conduxit, alteri locare, si aliud non conventit*. Et Locatio fiat quæ idoneo, sine damno domini. *Tulchus Lit. E. concl. 413.* Bonacina lo. cit. n. 4.

**N**otat tamen bene Engel, quod si usufructuarius rem, in qua usufructum habet, alteri ad certum tempus v. g. quinquennium locaverit, & interea ter-

tio v. g. vel secundo anno moriatur, hoc ipso expiret hæc secunda Locatio; eò quòd usufructus sit personalis & cum persona expiret, §. 3. *Instit. de Usufruct.* ita ut hæres locatoris defuncti, conductori huic secundario ad nullum interesse, sed tantum ad mercedem, seu pretium pro rata temporis restitutum teneatur; ita clarè deciditur l. *Si quis*. 9. §. 1. ff. h. t.

**P**orrò si quis rem profrus alienam, in qua nec dominiū utile, nec usum, aut usufructum habet, alteri locat, valet quidem Locatio, locator tamen tenetur conductori totum refundere pretium, casu quo res aliena taliter locata, postea à domino evincatur, ita ut eâ frui conductor non possit. Textus est, in l. *Si tibi alienam*. 7. & l. *Si quis*. 9. *prin. ff. h. t.* Imò non tantum pretium, sed etiam id, quantum interest conductoris, quòd re conducta frui non possit, præstare debet, si rem profrus alienam locat, l. *Nos videmus*. 8. ff. h. t. nisi forsitan justam ignorantiam, & bonam fidem doceat, l. *Si fundus*. 33. ff. h. t. Quòd si locator rei aliene, in casu evictionis conductori aliam æquè commodam rem substituat, conductor contra eum pro refusione pretii agere non potest, cit. l. *Si quis*. 9. *prin. ff. h. t.* ibi: *Plane si locator paratus sit, aliam non minus idoneam habitationem præstare, æquissimum est, ait (Pomponius) absolvi locatorem*.

**R**esp. III. Plures sunt res, quæ locari de Jure non possunt. Patet induktione. Nam primò locari nequeunt serviutes prædiales, seu reales: uti funt iter, actus, via, jus pascendi pecora &c. l. *Locare*. 44. ff. h. t. ibi: *Locare serviutem nemo potest*. Ratio est; quia Locatio fit tantum ad tempus: *Serviutem autem ipso quidem Jure neque ex tempore, neque ad tempus constitui possum, l. Serviutes*. 4. ff. de *Serviutibus*. Bonacina lo. cit. n. 2. Azorius lo. cit. c. 4. q. 2. *Serviutem* tamen personales locari non prohibentur §. 1. & 5. *Instit. de Usu, & habit.* junctâ l. *Inque eo*. 11. & *Plenum*. 12. §. *fin. ff. eod.*

**S**ecundò locari de Jure prohibentur res fungibiles in 20 pondere, numero, & mensura consistentes, quæ usu statim consumuntur, arg. l. *Sed mihi*. 3. §. *fin. ff. Commodati*. Ratio est; quia per Locationem res absque translatione domini conceditur tantum ad usum, eâ lege, ut elapso Locationis termino res eadem numero reddatur; quod in fungibilibus, quæ usu consumuntur, fieri nequit. Si quis tamen solummodò ad pompam & ostentationem res fungibiles conducere vellet, locari eidem sicut & commodari possunt, cit. l. 3. *Commodati*, ibi: *Nisi ad pompam, & ostentationem quis accipiat*.

**T**ertiò nemo de Jure validè conducere potest rem sibi aliis propriam, casu quo eam existimat alienam, l. *Si quis*. 9. §. *fin. ff. h. t.* l. *Neque*. 45. ff. de *Reg. Jur.* ibi: *Locatio rei sue consistere non potest*. l. *Qui rem*. 20. c. h. t. *Qui rem propriam conduxit, existimans alienam &c. inefficacem Conductionis contractum facit*. Nisi forsitan quis rem suam alteri oppignoraverit; quia in hoc casu potest pro conductore *Jud. debitor* uti, l. *Cum & fortis*. 35. *in fin. ff. de Pignorat.* Concordat l. *Si pignus* 37. ff. *eod.*

**Q**uartò absque requisita Juris solemnitate (de qua 20 supra Tit. 13. de *Rebus Eccles. alien.*) locari nequeunt ultra triennium res Ecclesiasticæ immobiles *Extravag. Ambrosiæ. de Rebus Eccles. non alien.* Debet tamen triennium hoc accipi pro utili & fructuoso. Hinc ager, qui alternis tantum annis fertilis est, ad sexennium absque ulla Juris solemnitate valde ac licet locari potest, *Covarruvias lib. 2. Variar. Resol. cap. 16. nu. 6.* *Pignatell. Tom. 4. Consult. 223.* ubi plures Rotæ decisiones assert, vi quarum ad novennium absque solemnitate facta approbatur Locatio, quæ locabantur res Ecclesiasticæ immobiles singulis triennis solummodò fructum afferentes.

**P**orrò an, & quando valet Locatio rei Ecclesia-